



*Jos. Huber.*

EX LIBRIS  
ILLVSTRISSIMI VIRI,  
DN. DAN. LVDOLPHI,  
LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
STATVS INTIMI, cetera;  
BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
TESTAMENTO RELICTIS.

4

M E T A P H Y -  
S I C Æ

B R E V I S S I M A  
D E L I N E A T I O ;


Semel atq; iterum ad disputan-  
dum publicè proposita

*Sub presidio*

D N. J O H A N N I S - H E N -  
R I C I A L S T E D I I , P H I -  
l o s o p h i æ i n I l l u s t r i H e r b o r n æ â P r o -  
f e s s o r i s p r æ s t a n t i s s i m i , P r æ c e -  
p t o r i s s i b i o b s e r v a n d i ,


à

J O H A N N E L I T O M I L O L I -  
t o m i s l e n o B o h e m o .



A N N O

Coronatiōis p̄II InDVperatoris  
Matthiæ.





## INTRODUCTIO IN METAPHYSICAM.

*Metaphysicæ systema tradituri præcognoscemus titulos & officia ejus.*

Tituli insigniores sunt novem.

**D**icitur 1. *Philosophia* ἡ ἀριστή ἐξ ὅλης, per excellentiam, quia Metaphysica est virtualiter tota Philosophia, sicut semen virtualiter est tota arbor: hoc est, Metaphysica continet fundamenta & communissimos totius Philosophiæ terminos; unde dicitur agere de omnibus rebus, non in particulari, sed in communi, quatenus principia universalissima virtute in se continent inferiorum disciplinarum principia: Vel saltem ita dicitur, quia præcipua Philosophiæ pars est. 2. *Theologia Naturalis*; quia vulgò de Deo & intelligentiis tractatur in Metaphysica. 3. *Divina Scientia*, & *Divina Philosophia* eadem ob causam. 4. *Princeps & Domina* reliquarum scientiarum, cui cæteras contradicere nefas sit, quia inferiores scientiæ ab hac pendent, ipsa

Aaa 2

autem est independens, & inferioribus scientiis imperat regimine, non quidem practico, sed theoretico. 5. *Metaphysica* dicitur quasi dicas μετὰ τὰ φυσικά; ubi vocula μετὰ exponi potest, 1. post, quia *Metaphysica* post *Physicam* inventa, imò post omnes alias disciplinas; itemque post *Physicam* & reliquas disciplinas docenda. 2. trans, quia *Metaphysica* *Physicam* transcendit & excedit: unde *transnaturalis* dicitur, item *supernaturalis*. Supernaturalia enim tradit, hoc est, talia, quæ sunt in altissimo rerum gradu posita: vel potiùs quia vulgò *Theologica* traduntur in hac disciplinâ, putà de Deo, & intelligentiis. 6. *Sapientia*: quia est habitus compositus ex *Intelligentia* & *Scientia*, itemque primas rerum causas tenet. 7. *Prima Philosophia*: quia prima rerum principia & attributa habet. 8. *Scientia maximè contemplativa*. Nam ea *scientia*, quæ cognitionis gratiâ considerat causas verissimas, maximè versatur in contemplatione veritatis. Hoc ipsum autem præstat hæc disciplina. Versatur igitur maximè in contemplatione veritatis. Minor probatur per partes. 1. Cognitionis gratiâ causas considerat, cum ad nihil aliud considerationem veritatis referat. 2. Considerat causas verissimas. Ea enim sunt verissima, quæ sunt causæ cæteris, ut sint vera, juxta canonem *Dialecticorum*: *Id maximè tale est, quod est cæteris causa, ut sint talia*. Causæ autem, quas hæc *scientia* confi-

considerat, sunt cæteris causæ, ut sint vera (sunt enim causæ primæ) sunt igitur causæ verissimæ.  
 9. *Vocatur iudex & præses reliquarum scientiarum.* Quum enim particulares scientiæ de propriis quasi finibus, (subjectis suis) contendant, ad superiorem aliquam scientiam tanquam ad iudicem deferenda est disceptatio. Ad Metaphysicam autem deferunt, quæ cognitâ causâ controversiam dirimit.

---

### Metaphysicæ tria sunt officia.

1. **A** *Signare cuique disciplina debitum subiectum.* Nulla enim disciplina suum sibi constituit subiectum, sed ab aliâ superiori probatum & constitutum accipit, exceptâ hâc. 2. *Terminos generalissimos explicare, quales sunt, Unum, Verum, Bonum, actus, potentia, &c.* Dari huiusmodi terminos manifestum est. Danda ergo aliqua disciplina, quæ illos explicet. At nulla particularis scientia id sibi sumit. Considera enim cuiusque disciplinæ subiectum, quod ente est inferius, & videbis, huiusmodi affectiones nulli subiecto singulari adæquatè convenire. Deus unus, verus, bonus; sed non solus: Corpus naturale est unum, verum, bonum, sed non solum. Quærendum itaque est ulterius adæquatum subiectum, ita ut istæ affectiones cum illo

convertantur. Tale autem est ens. Quum igitur detur subjectum ad constituendam scientiam idoneum, utique dabitur scientia de illo subjecto, nempe Metaphysica. Ais: Logica est illa disciplina generalis. Ajo: Logica est notionum secundarum, quas docet applicare primis, & non nisi per accidens agit de ente reali, non eo fine, ut scientificè ibi cognoscatur, sed ut sciat Logicus, quòdnam sit subjectum operationis. 3. *Reliquarum disciplinarum principia confirmare*; id quod facit duobus modis. 1. *Simplici explanatione terminorum*, quibus explicatis, veritas principii non potest non perspicui: ut *totum est majus qualibet sua parte*, si termini explicentur ex Metaphysicâ, adversarius petulanter negans hoc principium, convincitur. 2. *Deductione ad absurdum, sive ad impossibile*; quæ deductio fit per primum principium, *Impossibile est idem esse & non esse*: ut si quis neget hoc principium, Deus est; deducitur ad absurdum per primum principium hoc modo: Si Deus non est, mundus à se ipso est; si mundus à se ipso est, idem est & non est. Est enim causa, & causarum: est prior & posterior se ipso: est æternus & corruptibilis. Atqui impossibile est idem esse & non esse. Atque hinc constare potest ingeniis discendi cupidis, quanta sit primæ Philosophiæ utilitas.

Cap.



---

Cap. 1. De natura Metaphysicæ.

**M**etaphysica est sapientia, qua considerat Ens in quantum Ens. In hac definitione notetur Genus & Differentia. Genus est sapientia, quatenus sapientia est habitus principiorum & conclusionum, adeoque mixtus ex intelligentia & scientia, ita ut sapientia includat scientiam, aliquid ei superaddens, quod plus dicit quàm scientia. Et verò sex attributa sapientiæ quæ Philosophus 1. Metaphysicorum recenset, Metaphysicæ competunt. Metaphysicæ enim est: 1. *Omnia scire*, quoad primos sciendi fontes. 2. *Scire difficilia*, uti sunt primæ & altissimæ causæ. 3. *Habere demonstrationem certam*, & quidem ob principiorum tum independentiam, tum evidentiam. 4. *Habere maximam aptitudinem ad sciendum & docendum*, ratione principiorum, quæ in docendo priorem obtinent locum, non autem modus sciendi, ut quidam volunt, quem tradit Logica. 5. *Esse rerum cognitissimæ difficillimarum*: ut sunt abstractissima quæque. 6. *Omnia præcipere*, regimine videlicet theoretico, cujus regiminis respectu Metaphysica dicitur disciplina subalternans, inferiores autem subalternatæ. Verùm hæc est subalternatio improprie dicta. Nam ad proprie dictam (quæ fit ratione finis, vel subjecti, vel princi-

piorum) duo requiruntur: primò ut subiectum subalternatæ disciplinæ addat accidentalem differentiam supra objectum subalternantis: deinde ut principia subalternatæ sumant evidentiam & certitudinem à principiis subalternantis, ut videre est in Arithmetiâ & Musicâ, Geometriâ & Perspectivâ. Jam verò neutrum horum requiritorum occurrit in subalternatione Metaphysicâ. *Non primum*: quia subiecta inferiorum disciplinarum non per accidens, sed per se & essentialiter differunt à subiecto primæ Philosophiæ, ut corpus naturale ab ente. *Non secundum*: quia principia inferiorum disciplinarum habent evidentiam internam, sed externam habent à Metaphysica, per accidens nimirum, quatenus aliquis illa obstinatè negat. Concedi itaque potest, subalternari Metaphysicæ inferiores disciplinas improprie, ratione subiecti, & principiorum. Sic Ethica ratione finis subalternatur Physicæ, sed improprie, ut & Jurisprudentia Politicæ proprie. Ratione subiecti & principiorum proprie subalternatur Arithmeticæ Musica. Alii vocant *scientiam*, quatenus quidem scientia opponitur opinioni, non autem sapientiæ. Illo modo significat cognitionem certam per causas; hoc modo significat habitum conclusionum necessariorum. *Differentia sumitur ex objecto*. Differentiæ enim disciplinarum theoreticarum desumuntur ex objecto, sicut practicarum à fine.

à fine. *Objectum sive subjectum Metaphysica est  
Ens quatenus Ens.*

*Subjectum Metaphysica, ut omnis scientia, duas habet partes: Rem consideratam & Modum considerationis. Res considerata sive materiale est totum Ens, cujus synonyma sunt Res & Aliquid. Modus considerandi sive formale est in quantum sive quatenus Ens, ubi vocula quatenus accipitur reduplicativè, ut vult Scotus; vel specificativè, ut vult Aquarius, quod malumus. Cæterùm Ens quatenus Ens considerare, est considerare Ens in latitudine nudissimè, in simplicissimo & generalissimo suo conceptu, cum omnibus suis rationibus seu attributis quæ abstrahunt à materia secundùm rem & rationem, sive secundùm esse rei, & esse objectivum seu cognitum per modum abstractionis, quæ duplex est, secundùm essentiam, & indifferentiam. Secundùm indifferentiam abstracta dicuntur, quæ sunt quidem in rebus materialibus, ipsa tamen in suo conceptu nullam includunt materiam, qualia sunt Ens & omnia illius attributa. Hæc enim abstrahimus à spiritu & corpore, tanquam indifferentem se ad utrumque habentia. Abstracta secundùm essentiam dicuntur, quæ omnino excludunt materiam, ut Deus, intelligentia, & anima hominis. Præterea Ens per se ut reale duntaxat est Metaphysicæ considerationis. Excluditur itaque ab objecto Metaphysicæ.*

Aaa. §

1. *Ens per accidens*, quod non est unum *Ens in se*, sed *Entia*; quippe ex multis aggregatum, ut *Mundus, Musicus, Civitas*. Hujusmodi entiam per accidens non est scientia, id est, nullius scientiæ objectum esse possunt. Ratio: quia cuiusque scientiæ objectum debet esse unum per se, itemque definibile. At *ens per accidens* non est unum per se, neque definibile; quia est ambiguum. Ergo non cadit sub scientiam. Nihilominus tamen mentio fit *Entium per accidens* in prima Philosophia, tum quia munus ejus est explicare terminos generales & æquivoca generalissima distinguere, tum quia entia per accidens magnam habent convenientiam cum entibus per se. 2. *Ens rationis*, quod suum esse habet ab intellectu: quod tamen incidenter explicatur in *Metaphysica*, partim propter analogiam, quam habet cum *Ente reali*, partim quia per *Ens rationis* melius explicatur *Ens reale*, non aliter atque res per suam imaginem. Quapropter *ens per accidens* itemque *rationis* indirectè continetur sub objecto *Metaphysicæ*: itemque *Ens privativum*, & *complexum*: ita ut *Ens incomplexum, reale, positivum, per se*, sit adæquatum hujus disciplinæ subjectum. Quod alii docent, Deum esse subjectum *Metaphysicæ* & substantiam, tolerari potest, si hunc in modum explicetur: *Ens quâ ens reale & per se* quatenus abstrahit à Deo & creaturis est subjectum

Etum adæquationis: Deus est subjectum perfectionis: Substantia est subjectum attributionis.

*Metaphysica partes dua sunt: Generalis una, altera specialis: illa communis, hæc propria dicitur.*

---

Cap. 2. De essentia & existentia.

**P**ars generalis est, quæ tradit transcendentia; quæ sunt Entis tum principia, tum passionēs: quæ dicuntur transcendentia, eò quòd vagentur per omnia prædicamenta, ratione communitatis. Deus alio sensu dicitur transcendens, videlicet ratione eminentiæ & singularitatis. Quum ens sit subjectum Metaphysicæ, utique habebit principia & passionēs. Nam hæc tria juxta legem methodi Syntheticæ cognoscenda sunt in disciplinis theoreticis, videlicet subjectum, principia & passionēs: ita ut passionēs de subjecto demonstrantur per principia. Et tum Ens significat adjectivè, quatenus est concretum: quo sensu definitur Ens quod essentiam habet, non autem substantivè, quatenus est abstractum: quo modo essentia & Ens idem sunt: ut quando dicimus, Deus est Ens, accipimus vocabulum Entis abstractivè. Priori modo acceptum *Ens est* subjectum Metaphysicæ, quate-

nus definitur à posteriori, seu tribus proprietati-  
 bus, esse id, quod primo concipitur ab intellectu  
 tanquam notissimum ( quia conceptus ejus est  
 generalissimus & imperfectissimus) simplicissi-  
 mum ( quia in illud fit ultima reliquorum reso-  
 lutio) & generalissimum. Ubi velut in transcur-  
 su notetur, τὸ intelligibile, non esse supra Ens,  
 sed esse proprietatem, quæ est aliquid παρὰ τὸ  
 ἄρπον τῆ φύσιν, adeoque dicere relationem ( quia  
 Ens sub ratione veri est intelligibile) quæ neces-  
 sariò fundatur in aliquo absoluto. Non itaq; re-  
 latum genus absoluti, neque affectio entis supe-  
 rior ente esse potest. Notetur & illud, τὸ intel-  
 ligibile non rectè dividi in aliquid & nihil: cum  
 τὸ nihil non possit intelligi nisi per accidens,  
 quatenus sub similitudine seu specie quadam  
 concipitur, & tam induit ingenium entis. Ac-  
 cedit, quòd Nihil contradictoriè opponitur τῷ  
 Alicui. Ergo non potest poni tanquam species  
 sub uno genere.

*Principia entis sunt vel essendi vel cognoscen-  
 di. Illa incomplexa, hæc complexa dicuntur.*

*Principia entis incomplexa sunt essentia, & exi-  
 stentia; quæ inter se differunt modaliter, si ens  
 sit actu: at realiter, si ens sit potentiâ. Hæc po-  
 nimus principia entis intrinseca sive essendi, fre-  
 ti his duabus rationibus. 1. Forma rei est prin-  
 cipium intrinsecum. Atqui essentia sive entitas  
 est forma entis, unde & formalis ratio entis di-  
 citur.*

citur. Ratio, quia abstracta sunt formæ concretorum. Ergo est principium entis. 2. Essentia illa contracta ad circumstantias vocatur existentia. Quapropter si essentia, ut contrahibilis, est principium entis, etiam existentia (quæ est essentia jam contracta) erit principium existentis. Par enim est ratio. Accipimus autem hoc loco vocabulum entis participialiter, quatenus denotat rem actu existentem, non nominaliter, quo sensu significat realem duntaxat essentiam.

*Essentia est primum entis momentum, quo ens esse intelligitur.* Intelligitur autem conceptu tum formali, tum objectivo, non autem objectivo consequenter. Conceptus formalis est ipse actus intelligendi quo quis intelligit rem, ut cognitio hominis: & hoc dicitur esse rei. Conceptus objectivus est res, quæ immediatè concipitur, ut homo cognitus: & hoc dicitur esse cognitum. Conceptus objectivus consequenter dicitur notio secunda: quo pacto ens, quod est. Metaphysicæ considerationis, non cognoscitur. Præterea concipitur ens analogicè. Quum enim ens conveniat omnibus rebus, convenit illis vel univocè, vel æquivocè, vel analogicè. Non univocè: quia illa dicuntur univoca, quorum eadem & par est ratio, uti homo prædicatur de omnibus individuis. Non æquivocè: quia illa dicuntur æquivoca, quorum idem nomen, res diversissima, uti, canis stellæ & animali tribuitur. Re-

linquitur itaque, ens analogicè dici, sicuti spiritus dicitur de Deo & Angelis. Atque hoc modo ens dicitur de omnibus rebus, & quidem non analogiâ proportionis, qualis est, quando dico, homo ridet, & pratum ridet, sed attributionis & quidem intrinsecæ. Est enim duplex analogia attributionis. Prima extrinseca, quando forma denominans uni extremo competit intrinsecè, cæteris verò attribuitur per extrinsecam habitudinem ad illud: ut sanum dicitur de animali intrinsecè, de medicinâ & urinâ extrinsecè. Altera intrinseca, quomodo forma denominans est intrinsecè in utroque extremo, sed tamen in alio per habitudinem ad aliud: ut ens dicitur de substantia & accidente intrinsecè, sed ita ut accidens sit ens per habitudinem ad substantiam, quòd ab illa pendeat ut in essendo, ita in cognoscendo.

*Existencia est secundum momentum quo ens tale sive singulare esse intelligitur. Ea propter dicimus essentiam esse principium universalitatis productivum, Existentiam verò principium singularitatis, sive principium individuationis, & individuificum. Cæterùm ponimus hæc, principia entis non realiter distincta ab ente vel inter sese, sed talia quæ sunt rationes quædam antecedentes, sicut infinitas in Deo dicitur esse causa omnipræsentiæ. Hic ergo sciendum, principia incomplexa dici bifariam, propriè & impropriè.*



propriè. Propriè dicta principia sunt realiter distincta à suis causatis, ut Deus respectu hominis. Impropriè dicta non sunt causæ reales & propriè dictæ, sed tantùm rationes quædam antecedentes, ex quibus deducuntur consequentiæ, ita ut prius sit causa posterioris, hoc est, ratio quædam obtinens vicem causæ, secundùm nostrum concipiendi modum, etiamsi in re sint idem: ut in Deo immaterialitatem probamus ex ejus simplicitate, simplicitatem ex ejus unitate. Posteriori modo essentiam & existentiam statuimus principia entis participialiter sic dicti.

*Principium cognoscendi primum (de hoc enim agimus) est simpliciter, vel secundùm quid primum.*

*Principium cognoscendi simpliciter primum est unicum, quod continet terminos simpliciter primos, quales sunt ens & non-ens; unde & contradictionis (quæ est omnium oppositionum prima) dicitur: & hoc modo à plerisque effertur: Impossibile est idem esse & non esse. Hoc primum est in theoreticis & practicis, quatenus hæc ab illis pendent. Ab hoc enim principio cætera pendent, sive sint principia, sive conclusiones, quæ probantur per illud: quod genus probationis vocatur demonstratio deducens ad impossibile sive absurdum. Est enim & alia demonstratio, quæ dicitur ostensiva seu directæ, à*

priori & propter quid, quum prior illa nonnisi indirecta sit.

*Principia cognoscendi complexa secundum quid prima sunt, qua continent terminos, quibus passiones entis significantur: ut, omne ens est unum, verum, bonum: nullam ens deducitur à potentiâ ad actum, nisi per ens actu, & alia multa.*

---

### Cap. 3. De unitate.

**S**equuntur passiones entis, qua ei per rationem propriam conveniunt: aliâs dicuntur affectiones, proprietates, attributa, & modi. Sunt autem affectiones non realiter distinctæ, sed dicuntur affectiones, quia concipiuntur per modum affectionum. Prioris exemplum est risibilitas, quæ est passio hominis realiter distincta à suo subjecto, quod nullo modo formaliter includit, sed est extra rationem illius, adeoque est ens reale positivum. Posterioris exemplum est omnipotentia, attributum Dei, quæ non est diversum quid à Deo (quia est ipsa divina essentia) & tamen concipitur per modum affectionis & attributi. Eodem modo passiones entis, non realiter distinguuntur à suis subjectis, neque sunt extra rationem illorum: ut unitas homini attribuitur, non ut quid, sed ut modus. Si enim unitas superadderet aliquid reale positivum, illud.

illud esset ens: atque ita ens esset affectio entis, hoc est, sui ipsius. Quid? Daretur progressus in infinitum.

*Passiones entis sunt vel simplices, vel disjunctæ.*

*Passiones simplices sunt, quæ cum ente convertuntur, quippe quæ ens immediatè consequuntur: Suntq; numero tres, Unum, Verum, Bonum; ubi posteriores affectiones demonstrantur de ente per priores; quia priores sunt quasi causæ seu rationes posteriorum, ut veritas demonstratur per unitatem, unitas verò per suum subjectum. Hæ tres affectiones non addunt aliquam rem positivam supra ens, sed tantùm, vel negationem, ut *unum* dicit negationem multitudinis: vel denominationem extrinsecam seu habitudinem: ut *verum* dicit habitudinem ad intellectum, *bonum*, ad voluntatem. Ita autem hæ affectiones sunt idem cum ente, ut non quidem ab illo differant realiter, sed tamen ratione, idque vel modaliter, vel formaliter. Ens enim formaliter dicit ipsam rei entitatem, unum verò negationem dicit formaliter, verum & bonum habitudinem extrinsecam. Differunt definitione, sed non essentiali. Erronea ergo est sententia illorum, qui has affectiones numerant in disjunctis, seducti hac ratione: quòd ens dividatur in unum & multa, verum & falsum, bonum & malum. Nam in priori divisione est contrad. Etio: quia multi-*

tudo

tudo non competit enti, sed entibus. Deinde falsitas non opponitur veritati incomplexæ, sed complexæ, ita ut falsitas non reciprocetur cum ente per disjunctionem. Denique malitia non opponitur bonitati transcendentali, sed morali.

*Unum est quod est indivisum in se: & divisum ab alio quocumq;. Illud formaliter, hoc consequenter dicitur de uno.* Unum rectè primum locum obtinet inter affectiones simplices: quia unum est absolutum quid, verum & bonum sunt respectiva. Jam verò absoluta sunt priora respectivis. Quod quidam objiciunt, negationem non esse affectionem entis, frivolum est. Nam tò unum, si vocem spectes, dicit negationem, at verò si sensum & rem ipsam, denotat intrinsecam & realem entis perfectionem: ut in multis attributis Dei videre est, quæ terminis negativis efferruntur, ut infinitas, immortalitas, & tamen significant intrinsecam perfectionem, quæ ob defectum vocabulorum non potest exprimi, nisi per terminos de formali significantes negationem. Quo pacto & illud solvitur: Affirmatio est mensura negationis. Ergo unitas non est prior veritate & bonitate.

*Unum est per se, vel per accidens.* Illud simpliciter, hoc secundum quid unum dicitur.

*Unum per se est, quod est essentialiter unum. Estque vel absolutum, vel respectivum. Absolutum est, vel transcendentalis, ut quodlibet ens; vel*

vel numerale, ut unitas; vel individuale, ut Petrus; vel universale, ut animal; vel formale, ut anima.

Respectivum est vel intentionale, quod fictione mentis est unum, ut punctum Metaphysicum: vel reale; quod est ordinarium, vel extraordinarium. Ordinarium est tale. 1. Continuitate, eaq; vel extrinsecâ & artificiali, ut mensa; vel intrinsecâ & naturali, idq; vel genere, ut homo & bestia sunt unum; vel specie, ut Petrus & Paulus; vel numero, ut quodlibet individuum seu res singularis. 2. Causâ, ut omnes creaturæ causa prima sunt unum. 3. Eff. cto, ut pater & mater. 4. Subj. cto, ut doctrina & pietas in uno homine. 5. Accidente, ut Demosthenes & Cicero oratoriâ. 6. Connexione, ut manus. 7. Similitudine, ut duo ova. 8. Analogiâ, ut Christus & Pastor. Unum extraordinarium est vel essentia, ut tres personæ S. S. Trinitatis sunt unum unitate essentiæ: vel subsistentia, ut divina & humana natura unum sunt in unione hypostatica.

Unum per accidens est, quod accidentaliter est unum: ut homo doctus. Nam homo & doctrina non habent unam essentiam: quia homo est substantia, doctrina verò accidens.

---

 Cap. 4. De veritate.

**V**eritas est congruentia sive conformitas rei cum intellectu. Estque vel Incomplexa, vel Complexa. Illa est affectio entis, & dicitur *veritas rei*, hæc est affectio enuntiationis, unde & *orationis*, item *compositionis* & *divisionis veritas* dicitur. Illa est in ipsis rebus, hæc in enuntiatione, quæ cum affirmat uti res est, vocatur veritas compositionis; cum verò negat uti res est, vocatur veritas divisionis. Complexa ista veritas est vel logica, vel ethica. Sed Metaphysica hîc consideratur, cujus formalitas est congruentia rei cum intellectu: quæ congruentia est tum actualis, tum aptitudinalis. Illa, cum res talis est, qualis actu intelligitur. Hæc, cum res est talis, ut proprio conceptu intelligi possit. Utraque conformitas respicit intellectum vel divinum, vel creatum, tanquam mensuram. Et quidem Intellectus divinus est mensura veritatis quæ est in rebus creatis. Eadem res naturales sunt mensura intellectus nostri. Unde colligi potest, disproportionem inter Intellectum & Intelligibile, esse causam, quòd veritas difficillimè cognoscatur. Nam res vel supra nos sunt positæ, quæ difficulter cognoscuntur ob intellectus nostri imbecillitatem: vel infra nos, quæ difficulter cognoscuntur ob ipsarum debilem entitatem, ut  
materia.

materia prima. Intellectus verò noster est mensura rerum artificialium, quæ tum demum dicuntur veræ, quando sunt conformes intellectui artificis tanquam suo archetypo.

*Veritati opponitur falsitas*, quæ non est in rebus, (veritas enim est adæquata passio entis, & tam latè paret ut ipsum ens) sed est in conceptu & oratione seu enuntiatione, quæ propriè dicitur falsa; licet impropriè falsitas dicatur oriri ex similitudine, ut aurichalcum ob similitudinem aurum esse putatur; Item ex imaginatione, ut idolum dicitur falsus Deus, & denique ex defectu artis, quod non est conforme arti. Falsitas tamen rebus attribuitur extrinsecâ denominatione, non autem intrinsecâ. Nam falsitas non inest rebus respectu intellectus divini: quia ille non fallitur, & ad illius ideam omnes cõgruunt. Neque respectu intellectus creati. Nam res naturales non pendent ab illo, ideoq; si falsò concipiantur, falsitas est in conceptu illius. Res artificiales pendent quidem ab intellectu, sed neque in illis est falsitas. Si enim discrepant ab arte, falsæ dicuntur denominatione extrinsecâ. Monstra quòd attinet, illa non sunt falsa, sed imperfecta dicenda. Si enim falsa essent, essent talia vel respectu intellectus divini, vel respectu causarum naturalium. Non illo modo: quia Deus sciens volens finit fieri monstra. Non hoc mo-

do: quia causæ naturales non agunt per intellectum.

---

### Cap. 5. De bonitate.

**B**onitas est convenientia entis ad appetitum. Proinde nihil reale addit enti, sed tantum respectum seu relationem rationis. Dicit enim duntaxat conformitatem cum appetitu: quæ est formalitas ipsius. A posteriori definitur bonum, quod omnia appetunt, appetitu scilicet vel innato, vel elicitio. Unde patet, bonum habere rationem finis, juxta illud: *Finis est bonum convertuntur*: id quod verum est, si finem accipias fundamentaliter. Nam si finem accipias formaliter, finis & bonum non sunt idem. Ratio: quia finis formaliter dicit rationem causæ in ordine ad media, vel ad actionem: at bonum dicit rationem convenientiæ & perfectionis: ita ut bonum & perfectum sint idem formaliter; si scilicet intelligas perfectionem intrinsecam & essentialem. Nam si accipias perfectum pro consummato, multa bona sunt, quæ tamen non sunt perfecta, ut puer. Non hoc modo, scilicet formaliter, bonum & appetibile sunt idem: quia bonum dicit convenientiam cum appetitu; appetibile verò denominationem extrinsecam ad appetitum: sed priori modo, scilicet fundamentaliter,



taliter, bonum & appetibile sunt idem. Nam ratio ob quam res movet appetitum, est bonitas.

*Bonum quinque modis dividitur. 1. Est aliud per essentiam, ut Deus: aliud per participationem, ut omnia quæ à Deo creata sunt. 2. Est essentielle vel accidentale. Bonum essentielle est vel transcendente, affectio entis, sic omnia bona dicuntur Geneseos 1. capite: vel naturale, quod naturæ convenit, ut aqua pisci; vel morale, congruentia actus cum recta ratione, quò quidam referunt bonum artificiale, quod est congruentia rei artificialis non cum intellectu, ut quidam definiunt, sed ad appetitum. 3. Est vel honestum, quod propter se expetitur, ut exercere virtutem; vel jucundum, ut audire Musicam; vel utile, ut exercere mercaturam. 4. Est vel in se bonum, quod est tale simpliciter, vel alicui, quod est tale secundum quid. Et hoc potest alicui esse malum, ut degere in aqua, est malum homini. 5. Est verum, κατὰ ἀλήθειαν, ut amare Deum: vel apparens, κατὰ δόξαν, ut colere idola, potare.*

*Bono opponitur privativè malum, quod est 1. simpliciter, in se, & formaliter malum, ut peccatum; vel secundum quid & alicui. Et hoc potest esse positivum, ut habere sex digitos. Ita quod uni salubre est alteri nocet. Proinde dicitur malum improprie. 2. Verè tale, ut pecca-*

re; *vel apparens*, ut, frequentare scholam, puero  
 videtur malum. 3. *Pœna seu conditionis*, ut mors;  
 hoc malum tum dicitur medicinale, quando  
 prodest, ut castigatio filiis Dei prodest: *vel culpa  
 seu vitii*, quod nullo modo est bonum, ut pec-  
 catum, quod dicitur non-ens. *Non-ens* dicitur  
 tale *vel simpliciter*, quod prorsus non est; ut pur-  
 gatorium: *vel secundum quid*, quod aliquo tan-  
 tum respectu est non-ens, cum alio respectu ens  
 sit: ut privatio, adeoque peccatum, ratione subje-  
 cti, est ens, sed extra subjectum ne cogitari qui-  
 dem potest. Dum enim superbiam formaliter  
 dicis, supponis & includis creaturam intelligen-  
 tem. Materialiter itaque sumtum hoc malum  
 est positivum quid, at formaliter est privatio. Et  
 hoc modo malum dicit causam materiale, vi-  
 delicet ipsum subjectum, in quo est. Formalis  
 causa est ipsa privatio. Finis ejus nullus est per  
 se, sed per accidens. Finis enim omnis bonus est.  
 Proinde à depravatâ voluntate non potest in-  
 tendi. Interim inordinata voluntas, malum sub  
 ratione boni apparentis intendit, ut homicida  
 interficit aliquem ut ipsum spoliet. Malum ita-  
 que non vult formaliter sub ratione mali, sed  
 materialiter, sub ratione boni. Denique causa  
 efficiens mali per se non datur, sed per accidens,  
 idque tribus modis. Primò cum causa efficiens  
 producit aliquid positivum, ad quod sequitur  
 privatio, ut ignis introducit calorem in aquam;  
 ad

ad quem calorem consequitur privatio frigoris. Deinde cum causa efficiens est defectuosa, ut cum malus pictor male pingit. Tertio cum efficiens subtrahit influxum, quam subtractionem consequitur privatio, ut cum solis lumen recedit, oriuntur tenebrae.

---

Cap. 6. De eodem & diverso.

**S**equuntur affectiones entis disjuncta, quae cum ente convertuntur cum disjunctione.

*Ea resultant vel ex unitate, vel è reliquis duabus passionibus unitis.*

*Ex unitate resultant identitas & diversitas, totum & pars, simplicitas & compositio.*

*Identitas est unitas quaedam, secundum quam ens dicitur esse idem: hæcque affectio resultat ex unitate, ita quidem, ut unum & idem sint idem, si sumantur fundamentaliter. Nam res formali differunt: quia idem dicit relationem, unum autem negationem.*

*Estque vel absoluta, vel relata.*

*Absoluta est, quæ res sibi est eadem, ut Johannes. Relata, quæ res alteri est eadem, ut Petrus & Paulus.*

*Deinde Identitas fit vel secundum genus, ut homo & bestia sunt idem; vel secundum speciem, ut Johannes & Paulus; vel secundum numerum;*

Bbb

ut Rhenus; vel secundum quantitatem; ut duo homines æquè magni, vel secundum qualitatem, ut duo Musici.

*Diversitas est secundum quam ens est distinctum ab alio, idque modo distinctionis, & oppositionis.*

*Distinctio est vel realis, vel rationis.*

*Distinctio rationis est, qua fit operatione mentis.*

*Estque rationis ratiocinantis, vel rationis ratiocinata.*

*Distinctio rationis ratiocinantis, aliàs distinctio rationis pura, est, quando ratio nostra ponit distinctionem in re sine ullo fundamento: uti in columna distinguit inter dextram & sinistram.*

*Distinctio rationis ratiocinata est, cum intellectus noster fundamentum distinctionis invenit in re.*

*Estque Formalis, Virtualis & Modalis.*

*Distinctio formalis est inter ea, que se mutuo includunt & solâ definitione differunt, re verò idem sunt: ut homo & animal differunt formaliter, quia dicunt eandem rem, sed unum dicit rem illam confuse, alterum verò explicitè. Homo & animal in re sunt idem.*

*Distinctio virtualis est, quando ex operationibus & effectis divisus arguimus distinctionem in re: Ut attributa divina differunt virtualiter, quia alia sunt effecta misericordiæ, alia justitiæ, alia intel-*

Intellectus, alia voluntatis; Deus enim misericordiâ sua benè facit, justitiâ punit, intellectu intelligit, voluntate vult. Sic intellectus & voluntas in anima differunt. Aliâs dicitur *distinctio rationis eminens*.

*Distinctio modalis est, quæ fit secundum modos qui differunt à rebus, quarum sunt modi itemque à se ipsis, modaliter; ut Bonitas differt ab ente modaliter, & bonum ab uno. Huc etiam pertinet gradualis distinctio, ut lux Solis matutina differt à meridiana, manus contracta ab explicata. Modi autem sunt, qui res contrahunt & determinant.*

*Distinctio rei est quæ est inter res ipsas sine operatione mentis: Estq; in iis quæ 1. differunt essentiali, uti differunt entia incompleta, videlicet materia & forma, item completa, quæ diversi sunt generis & diversæ speciei, ut elementum & planta, homo & leo. 2. Subjectis, ut differunt ipsa subjecta, putà corvus & cygnus. Item accidentia in diversis subjectis, ut albedo cygni & nigredo corvi. 3. Numero, ut ipsa individua, putà Johannes & Paulus. 4. Suppositis, ut tres personæ S.S. Trinitatis differunt suppositaliter non à numero: quia eadem numero essentia est in singulis personis. Si intelligas modum subsistendi; potest appellari distinctio realis modalis, seu modalis suppositiva: quia aliud suppositum est pater, aliud filius.*

*Oppositio est diversitas rerum cum pugnâ.*

*Estq; vel negativa, vel positiva.*

*Negativa est inter unum extremum positivum, & alterum negativum.*

*Estq; contradictoria, privativa, & relativa.*

*Contradictio (scilicet incomplexa) est oppositio inter terminum positivum & negativum simpliciter, ut inter ens & non-ens. Ubi tò non-ens vocatur negatio negans, item maligna. Hæc oppositio reliquarum est mensura. Ratio; quia est omnium prima: unde & nullum admittit medium, cujus species vide apud Keckerm. Systemate logico generali libro 1. sectione 1. cap. 6.*

*Privativa oppositio est inter ens & non-ens privativum: ut inter visum & cæcitatem; ubi tò non-ens dicitur negatio privans. Est autem privatio vel *Physica*, quæ est absentia formæ in materiam introducendæ, & formam antecedit, ut in ovo est privatio pulli; vel *Logica*, quæ est absentia vel actus, vel potentiæ. Ibi datur regressus, ut cùm homo dormit, est privatio actus videndi; cum expergiscitur, rursus videt: hîc per naturam non datur regressus, datur tamen per divinam potentiam, ut cùm quis est planè cæcus.*

*Oppositio positiva est inter duo extrema positiva.*

*Estq; vel contraria, vel relativa.*

*Contraria sunt 1. Ipsa genera, ut virtus & vitium;*

tium, *vel qua sub eodem genere maximè distant*, ut frigus & calor. 2. *Mediata*, ut calor & frigus; *vel Immediata*, ut virtus & vitium. 3. *Per se*, ut calor & frigus; *vel per aliud*, ut sol & luna propter effecta contrariantur. Est & contrarietas *alia specierum*, quæ habent contrarias differentias, ut rationale & irrationale; *alia accidentium*, ut qualitatium.

*Relativè opposita sunt, quæ respectum aliquem includunt, qui respectus dicitur relatio. Est autem relatio alia secundum dici, & minus exquisita*, ut ala dicitur alati, caput capitati; *alia secundum esse, cuius esse est referri ad aliud. Et hæc est vel transcendentalis, vel predicamentalis. Et utraq; est primò realis, vel rationis. Secundo, mutua, vel non mutua. Tertio equiparantia, vel disquiparantia.*

## Cap. 7. De toto & parte.

**O** *Mne ens est totum, vel pars.*  
*Totum est quod continet partes.*

*Estq; triplex, Essentiale, Integrale, & Universale; quidam addunt Perfectionale, uti est Deus, qui tamen improprie dicitur totum; quum totum dicat respectu partium: item potestativum seu potentiale, quod habet potentias diversas, uti est anima; & numerale, uti est denarius.*

*Totum essentiale est, quod componitur ex partibus essentiam constituentibus: quales sunt, materia & forma; uti est totum essentiale Physicum: cum quo affinitatem habet totum essentiale Metaphysicum, quod componitur è potentiâ & actu.*

*Totum integrale est, quod constat è partibus quantitativis, quæ vocantur partes materia: uti sunt manus, pedes. Hoc totum habet partes plures, quàm duas: totum essentiale duas tantum.*

*Estque homogeneum vel heterogeneum. Illud est quod habet partes similes, quæ idem cum toto nomen obtinent; ut partes aquæ, vini, sanguinis. Hoc est quod partes dissimiles diversum à toto nomen obtinentes habet: ut partes ædificii.*

Utrumque totum tam essentiale, quàm integrale, non differt realiter à suis partibus simul sumtis, nihilque reale addit partibus suis: sed duntaxat dicit unitatem seu unionem, quam partes non dicunt. Præterea totum à se ipso non differt realiter: licet illius partes à se invicem differre possint realissimè.

*Totum Universale est quod pertinet ad multa. Hic intelligimus universale incomplexum. Complexum enim est Logicæ considerationis. Estque primò triplex; ante multa, ut ideæ, sed non Platonice; in multis, ut natura omnis existens*



stens in multis individuis, hoc dicitur universale perfectum: *post multa*, quod dicitur universale imperfectum, conceptus nempe universalis, genus & species. *Deinde est universale in causando*, quod quidem in essendo est singulare, sed ad multa diversorum generum effecta producenda concurrat, ut Deus & cœlum: *in significando*, vox habens vim plura significandi, ut homo, equus: *in predicando* quod diximus universale post multa; & *denique in essendo*, ut genus. Posteriores duas significationes hinc attendimus, & de universalibus hunc in modum philosophamur. *Universale est unum, quod aptum est, ut pluribus insit, & in illis multiplicetur*. Duas itaque habet formales rationes, videlicet unitatem, & communitatem. *Unitas* illa vocatur universalis, itemque rationis, habens fundamentum in similitudine naturæ & unitate formali seu naturali. Nam quia Petrus & Paulus similes habent naturas & formas, intellectus noster concipit eas ut unum quid, & ita facit unitatem universalem. *Communitas* est, secundum quam natura universalis realiter multiplicatur cum individuis, ita ut maneat unum quid ratione, quæ rationis unitas dicitur unitas generis & speciei: genus autem & species dicuntur universalia. *Communitas* illa est vel actualis, qua universale divisum actu multiplicatur, ut homo:

vel aptitudinalis, qua universale quidem aptum  
 est ut divisum multiplicetur, actu tamen nun-  
 quam multiplicatur, ut natura lunæ, solis & cæ-  
 terorum, quæ & numero & specie unum sunt.  
 Hinc patet, essentiam divinam non rectè vocari  
 universalem, quia non multiplicatur in suppo-  
 sitis suis. Licet enim prædicetur de tribus per-  
 sonis, tamen neque ut genus, neque ut species  
 prædicatur: quia est una non unitate genericâ,  
 neque specificâ, sed unitate numericâ, quæ est  
 omnium maxima, nobisque in hoc adorando  
 mysterio imperscrutabilis. Quæris, quomodo  
 universalia fiant ab intellectu? Ajo, per abstra-  
 ctionem præcisionis. Triplicem faciunt abstra-  
 ctionem: *Rei*, seu realem, cùm unum ab altero  
 separatur, ut aurum à plumbo: *Negationis*, cùm  
 de subjecto aliquid negamus: estque enuntiatio  
 negans, ut corvus non est albus: & *Præcisionis*,  
 cùm è pluribus rebus unitis unam quasi præ-  
 scindimus ab altera, eamque consideramus re-  
 lictis cæteris. *Estque duplex, Sensuum & Intelle-  
 ctus. Abstractio præcisionis sensuum* est, quâ qui-  
 libet sensus suum objectum apprehendit: ut in  
 pomo apprehendit visus colorem, olfactus odo-  
 rem, gustus saporem, tactus humorem. *Abstra-  
 ctio præcisionis intellectus est*, cùm intellectus  
 rem apprehendit & quoad suam essentiam seu  
 quidditatem percipit, omnibus aliis, quæ in sin-  
 gularibus inveniuntur, ut materiâ, accidenti-  
 bus,

bus, loco, tempore, præmissis. Et hoc abstractionis modo fiunt universalia. Itaque universale quoad suum materiale, hoc est, fundamentum & materiam suam, est omnino extra mentem: quoad formale seu formalem rationem, quatenus universale est unum quid plura sub se continens, est opus mentis. siquidem universalia habent unitatem genericam vel specificam à ratione, quæ ex similitudine naturæ, quæ est inter res singulares ut Petrum & Paulum, facit unum conceptum communem, qui prædicatur de pluribus.

*Universali opponitur singulare, quod est individuum in se, & numero unum: unde & individuum dicitur; quod est vel suppositum, ut lapis; vel persona, ut homo. Hic quæritur, quodnam sit principium individuationis, quâ de re sic proponimus sententiam nostram. Individuum est vel substantia, vel accidens. Substantia est immaterialis, vel materialis. Immaterialis est vel Deus, & hic tanquam purissimus actus se ipso est individuus, adeoque nullum habet principium individuationis: vel Angelus, qui cum sit compositus ex actu & potentia, actum habet pro principio individuifico. Substantia materialis principium individuationis, non potest esse accidens: quia illud posterius est substantiâ; principium autem debet esse prius. Neque potest esse materia: quia illa communis est, &*

indifferenter se habet ad omnia. Jam verò indifferens non potest esse causa differentiae. Ergo nec individuationis. Relinquitur ergo, formam in materiâ, sive numericam & individui-  
ficam, esse decantatum illud substantiarum materialium principium individuationis: quum non plura occurrant in istiusmodi substantiis quàm accidentia, materia & forma. *Accidentia* autem se ipsis individuuntur. Cùm enim sint formæ simplices, non potest in iis dari alia individuationis ratio præter eorum naturam intrinsecam. Interim non diffitemur, subjecta non nihil conferre ad individuationem accidentium: sed non plus, quàm materia in substantiis materialibus confert, quæ formæ præbet hospitium.

---

Cap. 8. De simplici & composito.

**O** *Mne ens est simplex, vel compositum.*  
*Simplex est quod non est ex partibus compositum.* Ideo quò quid pauciores habet partes, eò magis ad unitatem accedit: quò magis ad unitatem accedit, eò est simplicius. Ratio, quia simplicitas pro fundamento supponit unitatem è quâ resultat.

*Est quæ vel simpliciter simplex, vel respektive.*

Sim-

*Simpliciter simplex est vel summum, ut Deus; vel infimum simplex, ut materia prima.*

*Simplex respectivè est, quod respectu inferioris est simplex; ut Elementum respectu hominis. Hic notetur error quorundam qui hoc theorema sine limitatione proferunt: Res quò simplicior est, eò perfectior. Duplici enim indiget limitatione. 1. Verum est de summo simplici, Deo: non autem de infimo, putà materiâ primâ. 2. Procedit si instituaturs comparatio in eodem entitatis gradu, si verbi gratia substantia comparatur cum substantiâ, accidens cum accidente: ut Angelus homine perfectior, contemplatio actione. At composita sunt perfectiora. 1. simplicibus è quibus constant: ut homo perfectior est materiâ, vel forma suâ, item elementis. 2. si diversa inter se conferantur, ut mixta sunt perfectiora elementis, plantæ perfectiores metallis, animalia perfectiora plantis.*

*Compositum est, quod partibus constat.*

*Compositio est septuplex. 1. Ex materia & forma, ut homo ex corpore & anima. 2. Ex partibus quantitativis, ut mensa. 3. Ex actu & potentia, ut Angelus. 4. Ex natura & supposito, ut homo. 5. Ex subjecto & accidente, ut omnis creatura. 6. Ex esse & essentia, ut omnis itidem creatura. 7. Ex genere & differentia, quæ dicitur compositio Logica seu rationis. Unde patet, in Deum nullam cadere compositionem. Quia*

Deus est actus purissimus, nihilque ipso prius. Omne autem compositum, ab alio componitur se priori. Et si ulla in Deum caderet compositio, caderet in illum una ex his tribus, videlicet ex natura & supposito, ex esse & essentia, è genere & differentiâ. Non illa: quia suppositum est ultima actualitas & perfectio naturæ. Atqui Dei essentia ita perfecta est, ut nihil ei superaddi possit. Non ista: quia Deus non est concretum quid. Non hæc: quia nihil in Deo est imperfectum, quod per differentiam specificam, tanquam perfectionem quandam determinetur. Quod attinet ad reliquos compositionis modos, vel *τὸ πᾶν δῆλον*, eos non cadere in Deum.

---

Cap. 9. De perfecto & imperfecto.

**H**Actenus percensuimus disjunctas entis affectiones, qua ex unitate resultant, sequuntur ea qua resultant è bonitate, vel simpliciter, vel cum unitate junctâ.

*Omne ens est perfectum, vel imperfectum.*

*Perfectum est cui nihil deest, scilicet perfectionis debitæ.*

*Perfectum est tale, vel simpliciter, ut Deus, in quo sunt omnium rerum perfectiones vel formaliter, vel eminenter: vel secundum quid, ut omnis res perfecta est in suo genere, ut musca, pulex,*

pulex. Et hæc perfectio in quocunque ente triplex est. 1. *Essentialis*, cum res est perfecta secundum suam essentiam. Ubi notetur error cujusdam Philosophi, qui contendit, substantiæ non convenire perfectionem nisi ratione accidentium: quum tamen perfectio sit transcendens, & in Deum cadat. Addo: Substantiæ quædam imperfecta sunt, ut materia prima. Ergo & quædam erunt perfectæ. 2. *Accidentalis*, quæ est *vel interna*, eaque *quantitatis*, ut mundus dicitur perfectus; *vel virtutis seu qualitatis*, ut homo doctus: *vel externa*, ut homo est perfectus ratione divitiarum, vestium. 3. *Finis*, ut beati in altera vita dicuntur hoc modo perfecti, quia assecuti sunt suum finem. Alii hunc in modum hac de re docent. Perfectio est vel quantitatis, vel virtutis, vel finis: & quælibet est vel summa, vel media. Perfectio quantitatis summa cadit in mundum: media in res quasvis, quæ perfectam habent quantitatem in suo genere. Perfectio virtualis summa est in Deo: media in creaturis. Perfectio finis summa est in beatis in statu patriæ: media competit aliis rebus in suo genere: ut orator, politicus, Theologus dicitur perfectus, quando assequitur quilibet suum finem.

*Imperfectum est cui aliquid deest.*

*Estque tale vel negativè, vel privativè.*

*Imperfectum negativè dicitur duobus modis.*

1. *Quod in nulla specie reponitur seu existit: estq; idem quod non-ens, ut purgatorium. 2. Quod cum alio ente collatum aliquam perfectionem non habet, quæ illi enti inest: quo sensu omne ens, excepto primo, imperfectum dici potest, ut materia prima.*

*Privativè est, quod debitâ perfectione caret; ut homo mutilus cui abscissa est manus. Ad hanc divisionem entis refertur illa, quâ ens dicitur esse completum, ut ipsum totum quod per se existit; vel incompletum, ut pars aliqua totius quæ non nisi in toto existit, & bonitatem incompletam habet.*

---

### Cap. 10. De naturali & artificiali.

**O** *Mne ens est naturale, vel artificiale: quæ distributio pertinet ad Metaphysicam: quia solus Metaphysicus ut sapiens, differentiam inter ea investigare potest.*

*Ens naturale est tale, vel improprie, ut Deus: vel proprie, quod habet congruentiam cum intellectu divino.*

*Ens artificiale est, quod refertur ad intellectum humanum. Hoc ens, qua tale, non est substantia, sed semper accidens. Unde & accidentia collocantur, non in prædicamento substantiæ, sed in prædicamento qualitatis. Conveniunt*

ics



res naturalis & artificialis quoad dependentiam & materiam, quam utraque habet. Differunt  
 1. Denominatione. Naturalis enim res dicitur talis denominatione intrinsecâ; artificialis extrinsecâ. 2. Res naturalis convenit cum sua causa in specie & essentiâ: at verò res artificialis convenit cum artifice in ideâ, non in essentiâ,  
 3. Omnes partes rei naturalis sunt à naturâ; at verò artifex accipit suum subjectum à naturâ, forma duntaxat externa seu figura est ab arte. 4. In naturalibus forma tanquam intrinseca est præstantior materiâ: in artificialibus contrâ materia est nobilior formâ, quæ est externa. 5. Res naturales moventur motu suo naturali: artificiales, vel violento, vel naturali, ut si lectus feratur deorsum, est motus naturalis; si sursum, est violentus.

---

## Cap. II. De finito & infinito.

**O**mnne ens aut est finitum, aut infinitum.  
 Finitum est, quod certis limitibus circumscribitur.

Estque tale ratione essentia, quantitatis, virtutis, & omnium accidentium.

Infinitum est, quod nullis circumscribitur terminis. Sic definitur infinitum per remotionem finitionis. In ordine ad intellectum creatum

definitur infinitum, quod nos comprehendere non possumus.

*Est q̄ aliud actu, aliud potentiâ.*

*Infinitum actu est simpliciter & absolutè tale, ut Deus: qui neque intrinsecè, neque extrinsecè terminatur loco, vel tempore.*

*Infinitum potentiâ est tale secundùm quid. Nam Deus non potuit producere actu infinitum effectum: quia implicat contradictionem, effectum esse & infinitum esse. Et verò plura infinita esse non possunt. Virtus & modus agendi in Deo est infinitus: effectum verò semper est finitum. Itaque infinitum potentiâ impropriè & negò ñ μὲν infinitum dicitur.*

*Infinitum potentiâ est tale, vel secundùm negationem, ut est altera contradictionis pars, ut non-homo; vel secundùm privationem, ut materia prima: vel secundùm quantitatem, tam continuam quàm discretam, quò etiam pertinet infinitum duratione: vel secundùm vigorem, ut calor in infinitum intendi potest.*

## Cap. 12. De necessario & contingente.

**O** Mne ens aut est necessarium, aut contingens.

*Necessarium est quod non potest non esse.*

*Est q̄*

*Ἐστὶ δὲ, vel complexum, quod dicitur necessitas propositionis, quæ est vel formalis, vel materialis, cujus tres sunt gradus, καὶ τὸ παντὸς, καὶ τὸ αὐτῶ, καὶ τὸ ὅλας πρῶτον: Vel Incomplexum, ut res ipsa necessaria, & dicitur necessitas rei.*

*Necessarium incomplexum est primò independens, ut Deus; vel dependens, ut omnia creata ita sunt necessaria, ut multum contingentia habeant admixtum. Sunt enim contingentia ratione productionis, quia potuerunt produci vel non produci, utpote pendentia à libertate voluntatis divinæ. At necessaria sunt ratione: 1. Existentiæ; Nam quatenus jam existunt, necessaria sunt, sed hypotheticè: 2. Definitionis, puta formæ & attributorum essentialium. Nam ita simpliciter necessaria sunt. 3. Actionis naturalis. Nam agentia naturalia determinata sunt ad unum effectum, sed libera indifferenter se habent & contingentia sunt.*

*Deinde necessitas est vel absoluta, vel hypothetica.*

*Absoluta est solius Dei, qui aliter se habere non potest: ut necessariò est bonus, necessariò odit & punit peccata.*

*Hypothetica necessitas est vel consequentia, cum posito antecedente consequens necessariò sequitur; ut, si credideris, salvus eris; vel consequentis, quæ est ipsa rei necessitas. Et hæc dividitur ratione causarum:*

*Est enim ratione causa efficientis necessitas:*

1. *Immutabilitatis*, in iis, quæ ratione decreti divini necessaria sunt, ut lapsus Adami, qui tamen respectu liberi arbitrii est contingens. Ad hanc etiam reducitur *necessitas definitionis*, quando res ratione causarum intrinsecarum non potest aliter se habere, ut homo est rationalis, est risibilis. 2. *Coactionis*: quæ vel ab externa causa imponitur, ut si fur rapiatur ad locum supplicii: vel ab internâ voluntate scilicet volente, non plena lubentia, ut quando nauta in mare projicit merces majoris periculi evitandi causâ. Addunt quidam *necessitatem violentiam*, ut quando lapis fertur sursum. 3. *Inevitabilitatis*, in iis quæ vitari non possunt, ut homo necessarîo moritur. 4. *Demonstrationis*, quando per causas externas, efficientem & finem, affectiones demonstrantur de suis subjectis. 5. *Naturalis determinationis*; ut quando causa naturalis, ad unum effectum determinata, agit, ut cœlum movetur. Hic quatuor sunt requisita. 1. Ut causa naturalis habeat integram & sufficientem virtutem. 2. Ut habeat subjectum passivum, quod capax sit actionis. 3. Ut causæ suæ proportionaliter approximatum sit. 4. Ut nullum detur impedimentum.

*Ratione finis est necessitas. 1. Ex suppositione finis*, quod simpliciter est necessarium ad obtinendum finem: ut respiratio necessaria est homini

mini ut vivat. 2. *Expedientia*, quando aliquid facit ad finem commodè obtinendum: ut ad studium Theologiæ conducit Logica.

*Necessitas materia est, quæ ex materiâ oritur: ut quòd res materialis sit quanta. Dicitur necessitas Physica.*

*Necessitas forma, aliàs definitionis est, quæ oritur ex forma, ut homo est rationalis: quam diximus revocari ad necessitatem immutabilitatis.*

*Contingens est quod esse vel non esse potest. Hic quidam distinguunt inter contingentiam internam, quæ est ipsa libertas, secundum quam ens agere, vel non agere potest: & externam, cum agendi impedimentum objicitur. Illam Deo tribuunt, hanc non item. At malumus abstinere ab hac phrasi. Effecta Dei contingentia sunt; actio illius libera quidem est, at non contingens.*

*Contingens est vel complexum, quale est in propositionibus, in quibus nullus est necessarius nexus inter subjectum & prædicatum, ut homo est doctus: vel incomplexum, quale est in rebus, quæ mutari & aliter se habere possunt. Et hoc est æquale, vel inæquale.*

*Contingens inæquale, aliàs indefinitum & extrinsecum est, quod ad effectus suos se habet inæqualiter: ut sunt causæ naturales, quæ licet ad unum effectum producendum sint determina-*

tæ, tamen ob externum impedimentum aliter contingit.

*Contingens æquale est liberum arbitrium:*  
 Quia illud non magis respicit unum effectum quam alterum. Ista autem libertas non est potentia distincta ab aliis animæ potentiis: Sed in intellectu est radicaliter, in voluntate formaliter: actusque voluntatis dicitur liber per denominationem, vel extrinsecam, ut deambulatio libera est per voluntatem; vel intrinsecam, ut amare est actus liber intrinsecè & per seipsum. Vult autem voluntas necessariò finem, ut beatitudinem: sed media liberè vult. Item necessariò vult bonum in universali, sed liberè vult bonum in particulari.

---

Cap. 13. De increato & creato & synonymis divisionibus.

**O** *Mne ens est vel creatum, vel increatum; vel à se, vel ab alio; per essentiam, vel per participationem; independens, vel dependens; incorruptibile, vel corruptibile.*

Has divisiones conjungimus, quia hi termini etsi sunt diversi, rem tamen eandem significant. Nihil difficultatis habent, nisi quòd explicare oportet, quomodo ens sit creatum ab alio, quomodo sit item dependens & corruptibile.

bile. *Omne ens creatum est à Deo. Nam creatio est actio solius Dei. Dicitur esse duplex, activa & passiva. Activa creatio est actus voluntatis divinæ, quo res cùm nihil essent, fecit esse. Passiva creatio est dependentia creaturæ à creatore, quæ dependentia est via ad fieri vel esse creaturæ: ideoque est modus distinctus ex natura rei à creaturâ, & infert relationem realem ex parte creaturæ. Nam quemadmodum ex parte Dei est relatio rationis ad creaturam, sic ex parte creaturæ est relatio realis ad creatorem. Nam creatio est productio rei secundùm totam suam substantiam, nullo præsupposito subjecto: ita ut tria requirantur ad creationem. 1. Tò Nihil seu terminus à quo. 2. Infinita virtus in creatore. 3. Novitas essendi in creatura. Unde videre est, quid intersit inter creationem & generationem. Præterea faciunt creationem aliam primam & immediatam, qua angeli & animæ dicuntur creatæ: aliam secundam & mediatam eorum quæ ex præexistente materia sunt condita; ut omnia corpora creata sunt è materiâ primâ, *Genes. 1.* quanquam alii paulò aliter hos terminos accipiunt, ut patebit è sequentibus.*

*Ens ab alio dupliciter esse dicitur, vel originaliter, ut secunda persona Trinitatis dicitur esse à primâ: vel effectivè, ut omnes creaturæ sunt à Deo; idque vel immediatè, ut quæ in creatione*

suum esse acceperunt à Deo; vel *mediate*, quæ per generationem producuntur.

*Dependentia est duplex. Absoluta*, quæ nullam includit imperfectionem, qualis est in divinis, ubi filius dependet à patre; vel *Contracta*, quæ includit imperfectionem, & rebus creatis tribuitur.

*Estque triplex. 1. Effectiva*, in iis quæ ab agente aliquo fiunt vel facta sunt, ut omnes creaturæ dependent à Deo effectivè. 2. *Subjectiva*, ut accidens dependet à suo subjecto subjectivè. 3. *Objectiva*, qua aliquid ab aliquo pendet terminativè: ut Relatio dicitur pendere terminativè ab eo, ad quod terminatur: ut filiatio terminatur ad paternitatem. Ergo filiatio dicitur terminativè pendere à paternitate. Sic & triplex est independentia. *Ratione causa*, ut in Deo: *Ratione subjecti*, ut in substantiis: *Ratione termini*, ut in omnibus entibus, quæ non sunt relationes. Quidam adjiciunt tribus illis dependentiæ speciebus adhuc duas: videlicet *idealem*, qua res dicuntur pendere ab ideis divinis idealiter: & *finalem*, ut media dicuntur dependere à fine ad quem ordinantur.

*Corruptibile est vel ab intrinseca causa, vel ab extrinseca, vel ab intrinseca & extrinseca simul.*

*Intrinsecè corruptibilia sunt qua ex materia & forma constant, habentque causam corruptionis in se, nempe vel contrarias qualitates, ut*

COR-



corpora mixta, vel absorptionem caloris & humidi radicalis, ut viventia.

*Extrinsecè corruptibilia sunt, quæ vel à Deo, vel valentiori aliquo ente corrumpuntur. Et quidem solus Deus efficere potest corruptionem, quæ vocatur annihilatio. Creaturæ autem non annihilant, sed destruunt.*

*Extrinsecè & intrinsecè simul corruptibilia sunt omnia corpora sublunaria. Nam angeli dicuntur incorruptibiles, quia licet habeant potentiam passivam remotam, non tamen habent proximam, quæ ad corruptionem inclinat. Cœlum quoq; dicitur incorruptibile, quia non habet contrarium, à quo corrumpatur. Nam materia & forma sempiterno quasi nexu in eo combinata sunt. At solus Deus *απειρολέκτως* est incorruptibilis. Idenim propriè est incorruptibile, quod nihil habet supra se, à quo possit corrumpi, nihilq; intra se, à quo possit alterari. Quamvis igitur incorruptibile & corruptibile differant plus quàm genere, si spectes Deum & creaturas: tamen conveniunt in genere logico quod est conceptus multis communis, videlicet in ente, vel substantiâ.*

---

#### Cap. 14. De illocali & locali.

**O** *Mne ens est vel illocale, vel locale.  
Ens illocale est, quod nullo terminatur lo-*

eo, ut Deus. Nulla itaque creatura potest esse ubique: quia hæc est proprietas solius Dei. *Locale est, quod loco terminatur, vel terminari potest*: ut omnis creatura est localis, & quidem vel per definitionem, vel per circumscriptionem. Ita spiritus creati dicuntur esse in loco definitivè, seu potius in suo ubi, id est, ita ut sese intra definitum spatium contineant, nec simul extra illud possint existere. Corpora autem sunt in loco circumscriptivè, hoc est, occupant locum per extensionem, atque ita mensurantur & circumscribuntur loco. Quidam dicunt, Deum esse in loco repletivè; quæ phrasis si cum grano salis accipiatur, tolerari potest. Diximus, omnem creaturam esse localem, non autem actu esse in loco. Illud enim necessarium est, hoc contingens. Sic cœlum supremum locale est, sed non actu est in loco physico externo. Nam locus est vel externus, vel internus. Hic est cujusque corporis, ille non item. Idem de tempore judicium.

---

### Cap. 15. De actu & potentia.

**O**mnne ens est vel actu, vel potentia.

Hic nota 1. Actum & potentiam opponi *partim relativè*, videlicet relatione transcendentali, ubi non opus est, ut unum ponat vel tol-

vel tollat alterum, & ut unum per alterum definiatur; cum hoc sit de natura relationis prædicamentalis; *partim privativè*, quatenus potentia passiva adjunctam sibi habet privationem actus. 2. Actum simpliciter consideratum, esse priorem potentiâ, ut Deus est actus prior omnino potentia: & sic omne ens à potentia ad actum deducitur per ens actu: actum verò, qui respicit potentiam in certo subjecto, esse posteriorem potentiâ, ut homo est prius potentiâ quàm actu: nihilo minùs tamen actum illum esse priorem *perfectione*, cum potentia sit imperfectio: sic & *intelligentiâ* actus est prior potentia, quia hæc per illum intelligitur:

*Ens actu est quod habet existentiam.*

*Ens potentiâ est quod nondum habet existentiam, sed habere potest.*

*Potentia* i. est *propinqua*, quæ semper deducitur in actum, nisi aliquod interveniat impedimentum, ut semen arboris est in potentia proxima ad recipiendam formam arboris, *vel remota* quæ rarò deducitur in actum.

*Deinde potentia est objectiva, subjectiva seu passiva, vel activa.*

*Potentia objectiva est earum rerum, quæ non quidem sunt, sed tamen esse possunt: ut omnes res antequam creatæ essent, erant in potentiâ objectiva, quia poterant esse quæ non erant. Cum*

igitur res nondum est, neque tamen ei repugnat esse, dicitur esse in potentia objectiva.

*Potentia subjectiva seu passiva est, secundum quam res potest aliquam mutationem recipere.*

*Estque vel naturalis, quæ ab agente naturali in actum deduci potest, ut in ovo est potentia passiva naturalis ut ex eo fiat pullus: vel obedientialis, secundum quam res aliqua apta nata est obedire agenti superiori ut ex ea aliquid fiat: ut aqua est in potentia obedientiali ut ex eâ virtute divinâ fiat vinum.*

*Potentia activa est, secundum quam aliquid agere potest.*

*Actus primò est purus, vel impurus.*

*Purus, qui nihil habet admistum potentia, impurus contra. Solus autem Deus est purus, imò purissimus actus. Creaturæ sunt actus impuri. Quidam Deum vocant purissimum actum: Angelos verò actus puros medios; Corpora actus impuros.*

*Deinde actus est vel primus, vel secundus.*

*Actus primus est ipsa entis tum forma, tum proprietas formam consequens, ideoque inseparabilis ab ipso ente: ut anima, quatenus actus, non potest separari. Nam dum separatur, desinit esse actus. Sic calor est actus primus ignis. Actus secundus est operatio; ideoque separabilis ab ente: ut calefactio ab igni.*

*Tertiò actus est vel absolutus, vel respectivus.*

*Actus*

SI

*Actus absolutus est, qui absolutus est ab omni materia: ut Deus & intelligentiæ.*

*Actus respectivus est id, quod refertur ad id quod actuatur, unde & actuans dicitur: uti est omnis forma tam substantialis quàm accidentalis, quæ materiam actuatur sive perficit.*

*Est quæ vel Physicus, vel Metaphysicus.*

*Physicus est forma physica: ut anima.*

*Actus Metaphysicus est vel essentia, vel existentia.*

*Actus essentia est, qui facit speciem, seu qui facit ut rei essentia constet. Ideoque hic actus est communis omnibus individuis & proprius speciei, ut rationale esse est actus essentiæ hominis.*

*Actus existentia est actus proprius uniuscujusque individui, qui sequitur ipsam formam specificam. Hic actus primò & per se competit ipsis singularibus & compositis, secundùm quid verò universalibus & incompletis sive partibus. Est item actus entitativus, per quem res simpliciter est in mundo extra nihil: ut materia prima habet actum, per quem negatur nihil esse; qui actus si referatur ad formas, est pura potentia: vel quidditativus, per quem res est determinata, sub certo aliquo genere, & in gradu aliquo entitatis constituta. Et hic actus est illud individuationis principium, de quo supra. Nos addimus actum durationis.*

*Duratio est permansio entis in existentia, sive est ipsa existentia perpetuata.*

*Est vel intrinseca, vel extrinseca.*

*Extrinseca est, qua res physicas mensurat, est quoque sum tempus physicum. Et hac duratio realiter differt ab existentia.*

*Duratio intrinseca est affectio cuiusque entis.*

*Est quoque alia increata, alia creata.*

*Increata est aternitas; estque solius Dei.*

*Duratio creata, est vel ævum, vel tempus.*

*Ævum, strictè accepto vocabulo, est duratio permanens sine successione, in quâ quidem datur Ante, sed nullum Post: Est quoque angelorum & beatorum in statu patria. Dicitur sine successione duratio: scilicet externa, in qua dies diei succedit: non autem interna, in quâ tamen Nunc succedit tamen Nunc.*

*Tempus est duratio successiva secundum prius & posterius: estque rerum in mundo aspectabili. Dicitur duratio successiva, quia non omnes temporis partes sunt simul, sed una succedit alteri; & hoc tempus est intrinsecum cuilibet corpori. Extrinsecum est mensura motus, quod non est hujus loci, sed ad Physicam pertinet.*

## Cap. 16. De possibili & impossibili.

**O** *Mne ens est vel possibile, vel impossibile.*

*Possibile sumitur tripliciter. Est enim possibile, 1. Secundum potentiam activam, ut homini*

mini

mini possibile est ambulare, contrà volare impossibile. Homo enim habet potentiam ad ambulandum, non ad volandum. 2. *Secundum potentiam passivam*; ut corpori cælesti possibile est moveri circulariter, impossibile autem corrumpi. Est enim in cælo potentia passiva ad motionem, non verò ad corruptionem. 3. *Secundum non repugnantiam terminorum*: quale est in enunciationibus Logicis, ubi enunciamus esse aliquid possibile, quia ei non repugnat: ut possibile est homini currere. Sed impossibile est ut homo manens homo fiat asinus. Et hæc possibilitas dicitur potentia logica.

*Impossibile dicitur duobus modis: Positivè, quod respectu potentia activa finita, vel passiva est impossibile, possibile autem respectu potentia infinita Dei: ut possibile est, ut Rhenus exicetur. Negativè, quod prorsus est impossibile, & repugnat illud esse vel fieri: dicitur impossibile propter repugnantiam, & hoc etiam impossibile est respectu potentia Dei. Deus enim nec potest, nec vult, ut duo contraria sint simul vera: verbi gratiâ, ut corpus Christi sit corpus, & infinitum.*

---

### Cap. 17. De causa & causato.

**O** *Mne ens est causa, vel causatum.  
Causa est que dat effectui esse.*

*Causarum genera sunt quatuor: Efficiens, Materia, Forma, Finis.*

Hic duo sunt diligenter perpendenda, videlicet de numero & ordine causarum. Quoad numerum, quidam adjiciunt causam exemplarem. Verum illa referri potest ad causam efficientem, Exemplar enim est, vel Internum, vel Externum. Internum, ut idea mente conformata, quæ determinat & dirigit actionem agentis, ut in scopum tendat ratione quâdam certâ. Externum, ut scriptura archetypa, quam sibi proponit *magister studiosus*. Utrumque exemplar est necessarium enti per intellectum operanti. In utroque tria occurrunt. 1. Movet efficientem ad sui repræsentationem, & ita videtur habere rationem causæ finalis: ut Christus dici potest exemplar justorum, quia justii homines vitam suam ad illius conformant, eamque imitantur. 2. Determinat actionem agentis: & ita potest appellari forma, sed extrinseca. 3. Est principium, secundum quod agens intellectuale operatur. Et hoc modo, qui principalis est, propriissimè reducitur ad causam efficientem. Ordinem causarum quod attinet, ille est triplex; dignitatis, productionis, & originis. Ordo dignitatis hic est, Finis, Efficiens, Forma, Materia. Ordo productionis talis est: Finis, Efficiens, Materia, Forma. Ordo originis sive existentiae ita habet: Materia, Efficiens, Forma, Finis. Sic itaque finis primus.



primus est in intentione & ultimus in executione.

*Efficiens est à qua primò fit actio: cujus decem sunt divisiones. Est enim 1. Universalis, quæ non determinatur ad unum effectum, sed ad plures concurrit, ut Deus & cœlum: vel Particularis, quæ ad unum effectum producendum est determinata: ut omnes omninò causæ infra Deum & cœlum.*

*2 Principalis, quæ principaliter influit, actionemque ad finem dirigit: vel instrumentalis, quæ inservit principali agenti. Est autem instrumentum aliud activum, ut ignis quo utuntur Chymici; aliud passivum, ut malleus fabri.*

*3 Naturalis, quæ absque ulla deliberatione agit, vel voluntaria, quæ cum deliberatione. Illa determinata est ratione modi agendi, & ratione effectus. Semper enim agit, & eodem modo, si non impeditur: hæc potest & suspendere & variare actionem.*

*4 Antecedens vel Continens. Antecedens est, quæ impellit & promovet causam, ut vapores in caput ascendentes sunt causa ebrietatis. Continens est, quæ immediatè cohæret cum ipso effectu, ut causa ebrietatis est perturbatio spirituum in cerebro à vaporibus.*

*6 Univoca, quæ effectum sibi similem in specie producit, ut homo generat hominem:*

*vel equivoca*, quæ diversi generis effectum à se producit, ut Sol quando generat mures.

7 *Emanativa sive agens per emanationem*, in qua agens non est divisum à patiente, seu cum effectus manet in ipsa causa, ut intellectus & voluntas sunt causæ efficientes per emanationem: *vel transmutativa*, seu efficiens per transmutationem, cum effectus transit in aliud subjectum, ut homo scribens.

8 *Prima*, quæ in omnes alias imperium habet, earumque actiones dirigit, ut Deus, qui est causa efficiens, *ratione creationis, conservationis*, tam immediatæ, cum per se sine causis secundis conservat, quàm mediatæ, cum per causas secundas conservat, & *concursum*, qui est influxus divinus, quo Deus per se & immediatè agit cum creaturis, ita ut in omni actione creaturæ sit etiam Dei actio, juxta illud *Actorum 17. In ipso vivimus, movemur, & sumus*. Immediatè autem concurrat Deus non solum immediatè virtutis, sed etiam immediatè seu immediatione suppositi: quia non tantum per virtutem suam, sed etiam per suppositum & essentiam suam immediatè attingit effectum. Ratio hujus est: quia tam latè patet essentia Dei ac ejus virtus, cum sit re ipsa idem, ita ut impossibile sit alicubi esse Dei virtutem, ubi non sit ejusdem essentia.

9 *Adaquata* quæ reciprocatur cum suo effectu,

Et ut rationale cum risibili, *vel inadeguata*,  
cum causa latius patet effecto, ut animal ho-  
mine.

10 *Per se*, quæ vel naturâ vel consilio agit: *vel per accidens*, quæ ex accidenti ad effectum con-  
currit, idq; *dupliciter*, *vel ex parte causa*, ut cum  
dicimus musicum ædificare, *vel ex parte effe-  
ctus*, ut cum fossor invenit thesaurum.

*Materia est causa ex qua res est*. Nam mate-  
ria in quâ, vel circa quam, non est causa. Estque  
primò *sensibilis*, ut lignum; *vel intelligibilis*, ut  
tres propositiones sunt materia syllogismi. 2. *Est*  
*prima*, Mosaica illa *Gen. 1. vel secunda*. 3. *Est re-  
mota*, quæ mediante aliâ formâ à forma specifi-  
câ informatur; *vel propinqua*, quæ proximè in-  
formatur à forma specifica.

*Forma est, quæ facit rem esse hoc aliquid*: ideo-  
que rem à re distinguit, & proprietates produ-  
cit. *Estq; primò naturalis, vel artificialis*. 2. *Sub-  
stantialis*, quæ facit ut res sit, *vel accidentalis*,  
quæ enti jam completo extrinsecus accidit.  
3. *Physica, vel Metaphysica*. Hæc est tota rei  
quidditas, ut humanitas est forma hominis. Illa  
est altera compositi pars, ut anima rationalis.  
4. *Materialis*, quæ educitur è potentiâ materiæ,  
ideoque ab ea pendet in fieri & in esse: dicitur  
forma corporeitatis, quæ cum ipso corpore in-  
tercidit: *vel immaterialis*, ut anima hominis,  
quæ quatenus corpus informat, & operationes

per corporea organa exercet, dicitur pendere à materiâ. 5. *Propria*, ut substantiarum; *vel analogica*, accidentium. 6. *Assistens*, quæ non largitur rei tò esse, sed tantùm operari, ut juxta Aristotelem intelligentia movens cœlum; *vel informans*, quæ est altera pars compositi; eaque *separabilis*, ut anima; *vel inseparabilis*, quæ ita pendet à materiâ, ut extra illam subsistere non possit.

*Finis est cuius gratiâ res est.* Ideoque finis movet appetitum agentis, non propriâ, sed metaphoricâ motione, quando scilicet efficiens potentiâ amat finem & propter ipsum alia. Mover autem & est causa non tantùm secundùm esse objectivum, ut est in cogitatione; sed etiam secundùm esse reale, ut est in re. Ratio: quia finis secundùm suam bonitatem movet, quæ est in re principaliter, in animo secundariò. Mover autem secundùm esse reale potentiale, non verò secundùm esse reale actuale: ut sanitas, quæ est introducenda movet medicum, non autem illa tantùm quæ in illius est conceptu. Et licet finis ille actu non existat, actu tamen constat. *Est q̄ primò internus*, qui in ipsâ arte habetur, & semper acquiritur, ut piscationis finis est piscatio: *vel externus*, qui non semper obtinetur, quia extra artem est positus, ut captura piscium. 2. *Cujus*, ut salus æterna est finis cuius redemptionis nostræ; *vel cui*, ut redemptionis nostræ finis cui sumus

sumus nos electi. 3. *Generationis seu actionis*, ut est ipsa forma quæ per actionem acquiritur, ut cum sutor sult, istus actionis finis est calceus: *vel rei genita*, ut est id ad quod res destinatur, ut calcei finis est munitio pedis. 4. *Principalis sive ultimus*, ad quem omnia referuntur, & qui ulterius non refertur: *vel subordinatus*, qui ad consequendum principalem refertur.

*Causatum est, quod à causa pendet.* Omne autem causa:um habet quatuor causarum genera. Nam omne quod productum est, habet causam efficientem. Quod habet causam efficientem, habet & finem. Omne etiam causatum habet materiam, vel univocam, ut corpora; vel analogicam, ut spiritus creati & accidentia. Et quidem in spiritibus potentia respondet materiæ, in accidentibus autem subiectum in quo sunt. Quod autem materiam habet, idem & formam. Qualis materia, talis & forma.]

---

### Cap. 18. De substantia & accidente.

**F**uit pars communis, in qua consideravimus transcendentia, hoc est, entis principia & attributa, eaq; tum conjuncta, tum disjuncta: Sequitur divisio ejus in species, qua sunt substantia & accidens.

*Substantia est ens per se subsistens.* Quod si hunc in modum definiatur substantia, Deus appellari potest substantia. At si substantia dicatur ea, quæ substat accidentibus, Deus nullo modo appellari debet substantia. Tum enim est *ὑπερσῶμα, supersubstantia*, ut Damascenus ait.

*Substantia, est vel increata, ut Deus; vel creata: Et hæc est vel prima, ut res singularis; vel secunda, ut res universalis.*

*Substantia prima est vel incompleta, ut pars totius; vel completa, ut ipsum totum. Et hæc est spiritualis, ut angelus & anima separata; vel materialis, ut corpus.*


*Accidens est, quod subjecto inhaeret.* Hic intelligimus accidens prædicamentale, non prædicabile.

Atque hæc est brevis delineatio nobilissimæ Metaphysicæ, quæ licet, teste Scalig. Exer. 6. sect. 12. irrisores multos, admiratores paucos, imitorem fortassis neminem habeat, tamen usque adeò est utilis, ut eodem attestante ex. 307.

*f. 3. exuat animum incitæ rubiginæ, acuatq; ad alia.*

F I N I S.








P/1060

ULB Halle

3


002 422 476




WMA

2. C.







Centimetres

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue

Cyan

Green

Yellow

Red

Magenta

White

3/Color

Black



APHY-  
ICÆ  
ISSIMA  
NEATIO;  
erum ad disputan-  
policè proposita  
*b prasidio*  
ANNIS-HEN-  
STEDII, PHI-  
stfri Herbornaëâ Pro-  
stantissimi, Præce-  
bi observandi,  
à  
LITOMILO LI-  
eno Bohemo.  
(\* \*)  
N N O  
pII InDVperatorIs  
atthlæ.

